



Author lectori salutem.



**C**ommentarios hos meos in Constitutiones Saxonicas, quorum in secunda Semestrium editione spem tibi, amice lector, feci, in publicum, voto me soluturus, emittens, id, etsi superuacuum videri possit, monendum tamen te duxi, priuato tantum nomine meo illos, auctoritate publica nulla subindeos, prodire. Igitur, etsi quanta fieri à me potuit, diligentia cauere studui, ut ne quid in illis à me diceretur, quod vel iuri communi, aut Saxonico, vel Constitutionibus hisce ipsis, vel denique recepta fori nostri consuetudini repugnaret: Si quæ tamen forte eiusmodi reperiatur, (ut in hac rerum multitudine & varietate, facile quid vel à doctissimo quoque, & expertissimo, ne dum à me, committi potuisse scio) ea ne sequaris, sed pro non scriptis ut habeas, eodem enim loco, nec alio, quæcumque talia fuerint, ipsemet habeo, omnium primus illa, ubi meliora edoctus fuero, vitamque & valetudinem. **D E V S** mihi conceperit, emendaturus.

Cætera, qualiacumque sint, boni ut consulas oro, scriptorumque meorum censorem te præbeas æquum & candidum, talemque omnino qualem tuorum, si quæ nunc extant, vel deinceps forte prodibunt, tibi dari cupias. Attuli enim ego ad templum hoc Iustitiæ vel ornandum, vel conseruandum, non quæ debui & volui, sed quæ pro tenuitate mearum facultatum potui, pilos nimirum caprarum, & arietinas pelles. Quod cum Deo, cuius hoc ipsum tamen etiam munus est, non ingratum esse sciam, te quoque non aspernari, nec me ultra quàm facere possim, exigere par est. Adferas verò tu aurum & argentum, qui eo me magis abundas, ita fiet, ut collata in ædificium hoc operæ & impense, siue parue siue magnæ, mercedem suam quisque nostrum suo tempore ferat, saltem ab eo, qui ne haustum quidem aquæ frigide, sine præmio apud se futurum pollicetur, nec fallit.

Interea mihi sat erit, doctiores, ad perfectius aliquid, & magis elaboratum, in has ipsas Constitutiones proferendum excitasse. Id enim si effecero,

vel hoc ipso me, quod volui, consecutum putabo. **Tan-**

**tisper** igitur his nostris, si lubet, candidè lector,

feliciter fruire, & vale.

QVO